Kochanowski.

Cochanovii Joannis: Lyricorum libellus.

Crac. in off. Lazari. 1580.

IOANNIS COCHANOVII LYRICORUM Libellus.



CRACOVIÆ

In officina Lazari. Anno Domini:

M. D. LXXX.

QVOD OMNIBVS NON MODO VTENDVM, SED ABVTENDVM ETIAM PROPINATVR, ID SOLENNI QVODAM MORE, ET RECEPTA POETARVM LIBERALITATE VNI NIHILOMINVS ANTE ALIOS TANQVAM PROPRIVM DICANDI, IOANN. COCHA. TRADITIONVM VETERVM CVLTOR, NICOLAO FIRLEI, IO. PAL. CRAC. F. LYRICA SVA LITVIS OBSTREPENTIBVS GENITA, AMORIS ET OBSERVANTIÆ SVÆ QVALECVNQVE TESTIMONIVM CONSECRAVIT.

IOAN-

Ioannis COCHANOVII LYRICA.

AD HENRICVM VALESIVM REGEM IN GALLIIS MORANTEM. ODE I.

QVis casus obstat? quis Deus inuidet?
Henrice, regum maxime, quo minus
Pulcherrimum ad regnum vocatus
Sarmaticis videare campis
Equo feroci conspicuus vehi:
Plaudente matrum cum pueris choro,
Vulgóq; densis confluente
Agminibus, studio videndi
Noui Monarchæ: Pelle procul morã,
Et te parentis sollicitæ pio
Euolue complexu, anxiarum &
Falle fuga lachrymas sororum.

Distincta gemmis aurea lucidis
Corona fronti dudum inhiat tuæ,
Sceptrumq; miræ gestit artis
Posse tuam tetigisse dextram.
Sceptrum, feroces cui Litaui, & potens
Paret Polonus, quotquot & incolunt
Gentes profundum Balticum inter,
Cæruleamq; Mæotis vndam.
Ad nomen, ô rex magne, tuum ferox
Moschus tumentes deposuit minas,
Scythæq; desuescunt rapaces
Podolijs equitare campis.
Argenteum acri calcar equo admoue, &
Perterrefactis impiger hostibus
Vulcaniis offer te in armis,
Fulmineo metuendus ense.
Seruent mihi illum fata precor diem.
Cum te, subactis hostibus, et maris
Vltum Tyrannos, vadere albis
Conspicuum videam quadrigis:
Vinctos catenis nexilibus duces,
Vrbesquê captas, signaquê bellica
Spectanda proponentem, et axes
Diuitibus spolijs onustos.

Tum me nec Orpheus, nec fidicen Linus
Vincat canendo: saxa licet lyra
Uterq; dicatur canora,
Et rigidas agitasse quercus.

IN DEOS FALSOS
ODE II.

Ætas prisca virûm diuitias Iouem,
Vires Latoidem corporis integras,
Formæ munera alumnam
Vasti credidit æquoris
Largiri Venerem: cor sapientia
Præstans, atq; animum consilij vberem
Aspirare putarunt
Matris Pallada nesciam.
Arma, interq; tubas Martis erat dare
Pectusq; intrepidum, vimq; animo parem:
Quassas Tyndaridarum
Seruare in pelago rates.
Horum ne vmbra quidem est nunc reliqua o-(mnium:
Fallacesq; deos, fictaq; numina
Cœco condidit Orco
Tempus cuncta redarguens.

At tu, magne parens orbis, & arbiter
Naturæ, veluti principio cares,
Sic expers quoq; finis
Viues omnia sæcula.
Te nos non pecudum sanguine, sed prece
Casta prosequimur, cordéq; simplice:
Tu placatus amicis
Aduersa omnia mollies.

IN CONVENTV STESI-CEN: ODE. III.

Quà vorticosus Vistuleis Veper
Miscetur vndis, et profugi domus
Antiqua spectatur Sicechi,
Diluuiis fluuiorum adesa:
Prognata duris natio Sarmatis,
Leuis Valesii, dicam abitu, an fuga?
Decepta, consedit patenti
Planicie, posuitq; castra.
Pastore qualis grex viduus suo
Mæret, nec herbæ, nec laticum memor:
Quem nox, & instantes tenebræ,
Sollicitantq; feræ rapaces.

Manemus

Manemus? an spe ducimur irrita
Regis videndi? quem cupidum viæ
Res patriæ arctæ, ciuiumq;
Perpetui reuocant tumultus.
Ita, ô deorum magne, velis, pater,
Ut constituta pace potentium
Per rura Francorum Polonas
Rex properet remeare in oras.
Sin hoc negatum est, nec datur vnico
Binas profundum per pelagus rates
Agi gubernaclo: prius, quàm
Ingruat horribilis procella,
Fas destitutis sit quoque Sarmatis
Vagæ magistrum quærere pinui,
Clauumq; ab Henrico relictum
Alterius manui implicare.
Sed ambientûm ditia principum
Promissa, ciues negligite integri:
Virtute ad amplos niti honores,
Non opibus decuit dolosis.
Tum, quod monendum ter venit, et quater,
Si rege nobis credimus esse opus,
Parere discamus, Tyrannumq;
Imperiosum animo exuamus.

Quid namq;

Quid namq; rectè præcipere attinet,
Si nemo paret? si gerere omnibus
Rempublicam fas, futilesq;
Pro arbitrio statuisse leges?
Minas furentis ne nimium, ô viri,
Horrete, sed nec temnite barbari:
Capessite arma, & quod sit in rem
Vestram, animis agitate magnis.
An colla, victi quod faciunt, iugo
Vltro offeremus libera barbaro,
Sæui ante Mauortis cruenta
Arbitria, ancipitemq; ludum?

AD CONCORDIAM
ODE IIII.

Diua, quæ cœtus hominum, & calentes
Temperas iras, animosq; nectis,
Et procul cæcum remoues cruenti
Martis amorem.
Qua nihil terris meliùs tuendis
Est datum: ô concordia, dulce amoris
Cœlitum pignus, veniens remotis
Ætheris oris.

Te fides

Te fides circùm, niueisq; plaudit
Charitas pennis : tua pax alumna est,
Et coloratis opulentia ardens
Tempora gemmis.
Te nouis matres cupidæ maritis
Inuocant, clauso simul atq; Olympo
Vesper est exortus, Hymenq; blandos
Iunxit amantes.
Te pater natis metuens relictis
Sedulò inculcat : tua roris instar
Gratia est humore nouas alentis
Iugiter herbas.
Tu vagos syluis homines profundis
Prima deduxti : tibi mœnia altarum
Vrbium accepta, & ferimus sacrarum
Fœdera legum.
Tu salus rerum ,dea ,publicarum :
Sola casuris inimica regnis
Fata propulsas ,tribuisq; longam
Prospera vitam.
Nulla vis tecum est metuenda , nullus
Hostium insultus : sine te, duello
Tuta ab externo propriis labascunt
Imperia armis.

O dea, ô cæli decus, ô bonorum
Proma, Fortuna facilis Polonum
Respice aduersa, populiq; cœcos
Comprime motus.
Arma, fraterniq; auidum cruoris
In truces ferrum potius Tatarros,
Verteq; in Turcas, veterumq; clades
Vindica auorum.

AD NIC. FIRLEVM IOAN. PAL. CRAC. F.

ODE V.

FIRLEV, iam rapido Sole calet Leo,
Admotisq; furit noxius ignibus,
Æstu flumina anhelo
Decreuere rapacia.
Agros, et syluas dira premit sitis,
Aurarumq; silent flabra fugacium:
Solis densa cicadis
Arbusta vndiq; personant.
Hîc, ô quà platanus brachia porrigit,
Atq; ictus calidi syderis igneos
Paruipendit, amicta
Spisso tegmine frondium:

Hic, vncti Syrio crinem opobalsamo,
Deponamus humi corpora, non sine
Rubro flore rosarum,
Canis nec sine lilijs.
Custos seposití villica Massici,
Fumoso properè deme picem cado,
Et rorantibus hauri
Diuinum laticem scyphis.
Quis post magnanimi munera Liberi
Bellorum dubios cogitet exitus?
Angaturuè minaci
Plebis discidio leuis:
Quis tum non choreis aptior, et iocis:
Dulcémue Æolij pectinis ad modos
Decantare querellam,
Formosæ memorem Chloes:
Sic ô sic libeat prodigere hunc diem,
Et curis animum soluere tristibus:
Cras arma aspera, tergiq;
Enses conuenict scabros.

IN CONVENTV VARSAVIEN.
ODE VI.

Musarum, & Clarii cultor Apollinis,
Cæsar né imperitet Sarmatiæ potens,

An fortem maneant ſceptra Batoreum,
Non ſum ſollicitus nimis.
Quemcunq; ille deorum, atq; hominum parens,
Vnus regna manu qui tenet omnia,
Auguſti in ſolium ſuſtulerit, meæ
Proſper ſit patriæ precor.
Ille antiqua rei vulnera publicæ,
Diſcordes animos ciuium, & aſperis
Certantes odijs mitiget, & nouo
Iunctos fœdere copulet.
Deturbata ſuo reſtituat loco,
Et priſcum reuocet ſedulus ordinem:
Bacchanti iniiciat frena licentiæ, &
Iuſtis vim fieri vetet.
Sumptus immodicos, & Sybariticam
Tollat lautitiam: ne pudeat domi
Natis veſci epulis, &, vice purpuræ,
Lana fulgere patria.
Regnanti idem adimat ſceptra pecuniæ:
Vt patrona parùm firma nocentium
Ne quicquàm loculis perſonet aureis
Æquis iudicum in auribus.
Hoc rege illuuie, & ſordibus obſita
Proferre è latebris incipiat pedem

Virtus

Virtus, inq; dies cultior aureum
Solem respicere audeat.
Laudis dulcis amor, blandaq; nominis
Propagandi animos spes iuuenum excitet:
Ut factis satagant fortibus accipi
Currum gloriæ in aureum.
Illos & cytharæ, & carmina barbaris
Insignes spolijs, sanguineq; hostico
Tinctos cornipedes, & bifidum canant
Pulsos trans Tanaim Scythas.

AD LYCEN ODE VII.

Dum fortuna tibi prosperior, dum placidus, Lyce,
Aspiraret amor: dum facies æmula lilijs,
Certaretq; rosis: delicijs omnibus affluens
Usus te facili est ille tuus Demochares: neq;
Nostri te intereà cura subijt vel minima, ut fores
Porrectum ante tuas respiceres, et miserè Notis
Enectum pluuijs in tepido calfaceres sinu.
Nunc postquàm Venus, et perfuga Amor castra alio mouet
Et rugis faciem longa dies asperat inuidis,
Dilectamq; Lycen Demochares negligit improbus:
Ultro accersimur, vltro expetimur. Scilicet, vt satur
Ructet carnem alius, relliquijs pascar ego ossium.

AD ANDR. PATRITIVM
ODE. VIII.

Quæ Siren adeò blanda, canorûe ita
Dulcis, te Sophiæ, Patriti, in ardua
Templa euadere auentem
Diuersam tulit in viam?
Tanti né vlla fuit conditio, vt libris
Spensippi in latebras nobilis abditis,
Facundóq; Platone
In pastum tineis dato,
Fortunæ satius duxeris ad latus
Inter purpureos ire satellites:
Ætatemq; labores
Omnem insumere in aulicos:
Tum forsan veterem demum opibus Midam
Æquaturus, vbi non fuerit tibi
Vno plus obolo vsus,
Vecturæ in prætium horridæ.
Spes macras, moneo, desere Patriti,
Pacatumq; redi rursus ad otium:
Fortunatus abundè,
Parto si valeas frui.

AD VENEREM ODE IX.

Te precor, magni Soboles tonantis,
Quæ domas mentes hominum, Aphrodite,
Ne meum pectus grauibus fatiges
Aurea curis.
Sed veni nostros miserata questus,
Vt preces audire queas dolentis,
Sæpe quas olim solita es benigna
Accipere aure:
Celsa cum curru residens in aureo
Linqueres alti solium parentis,
Passerum penna volucri patentes
Vecta per auras.
Nec diu sanè veniens morata es,
Quin statim arridens oculis beatis
Quæreres, quid me cruciaret, & quid
Corde dolerem.
Quidúe tot votis gemebundus altos
Poscerem diuos: laqueosné Amori
Perfugæ rursùm: Loquere, vlla si fors
Tristior in te est.
Si te enim vitat, subitò requiret:
Dona si spernit, sua mittet vltrò, &
Si odit, ingratis quoq; amabit, atq;
Iussa facesset.

Alma nunc adſis quoq; Cypri, meq; ijs
Libera ærumnis: animusq;, quicquid
Conſequi geſsit, face conſequatur
Te auxiliante.

IN VILLAM PRAMNICANAM
ODE X.

O Villa cælſis æmula turribus,
Quas ad rapacis flumina Viſulæ
Sceptris Polonorum potitus
Martigena ædificaſſe Cracus
Fertur: benigni villa Mathêouii
Erecta ſumptu, nunc dominum parem
Hero priori nacta, magni
Miſcouium columen Senatus,
Salue: laborum perfugium, parens
Tranquillitatis, pax animi, quies
Moleſtiarum, mater otij,
Hoſpiciumq; nouem ſororum,
Dotale pratum Chloridos aureæ,
Quod nec perennes deficiunt aquæ,
Næc flabra pernicis Fauonij,
Æthereos moderantis æſtus.

Tuis

Tuis amicis fontibus, & tuo
Secessu amœno longùm vtinam tuus
Herus fruatur, viuidamq́;
Sustineat vegetus senectam.

IN EQVVM ODE X.

Quadrupedum pudor, & Seiani infausta caballi
Progenies, certissima pestis,
Exiciumq́; altoris heri: quæ præmia tristis
Vecturæ tibi nomine soluam?
Non tu ad Pisææ natus certamina palmæ,
Non circo sudare frequenti:
Non tu audire tubas, non obuius ire sagittis,
Aut densas perrumpere turmas:
Magna loquor: neq́; tu visendis fidus amicis
Vector, inoffensumnè patenti
Alternare pedem campo, dominumq́; paterna
Incolumem sub tecta referre.
Quàm penè ad Stygias vexti me, perfide, valles:
Cocytum, nautamq́; Charontem,
Tergeminumq́; canem, simulachraq́; luce carentũ
Pallida, Minoisq́; tribunal
Visurum ante diem: teq́; audax Bellerophontes,
Te pauidis laniate quadrigis,

Hippolyte infœlix: Glaucumq́;, rotisq́; pauentem
Excussum patriis Phaetontem.
Mille hominem casus circumstant, mille pericla,
Mille doli, totidem vndiq́; pestes.
Ò mnibus inq́; locis passim natura dolosi
Inseuit mala semna lethi.
Quæ mortalis vbi pes institit, hostia sæuo
Confestim noua sternitur Orco.
O quocuuq; mihi dicenda es nomine, rura
Peruolitans florentia Nymphe:
Quæ fallacis equi prolapsum fraude tuis me,
Alitis in rapidæ obuia morem,
Excepisti vlnis clœmentibus: huc, age, faustum
Flecte vocata pedem, neq; honores
Aspernare tuos: memores de cespite crudo
Dum meritæ tibi ponimus aras:
Floresq́; omnigenos cumulamus, thusq́; Sabæum,
Non sine lacte, meroq́; bienni.
Hæc tibi ob acceptam libamus, diua, salutem:
Libaturi eadem omnibus annis
Munera: vbi, radiante reciprocus axe reuertens,
Hanc lucem mihi reddiderit Sol.
At te, pro phaleris, & sella, perfide, herili,
Triste iugum, torquendaq́; montis

Machina

Machina cæca adstans suprà ostia, difficilisq;
Cum sale lucta manet lapidoso.

DE EXPVGNATIONE POLOTTEI ODE XII.

Solers canendi, Melpomene, deûm
Propago: cuius muneris est viros
Virtute, præstantesq; factis
Pierio celebrare cantu.
Resume plectrum cum fide eburneum,
Regemq; capto ex hoste Polotteo,
Saluas reducentem cohortes,
Castalijs adhibe choræis.
Regem, fauentes quem tibi, Sarmata,
Diui annuerunt, fataq; prospera:
Artes relaturum priores,
Et vetera imperij trophæa.
Non ille fructus hos diadematis
Esse arbitratur, si Assyriis fluat
Perfusus vnguentis, toroq;
Molle latus Tyrio reponat.
Aut trans marinis si edita collibus
Potet suauis munera Liberi:
Cænisq; amicus nec recentem,
Nec videat Phaethonta serum.

Omnes voluptatum illecebras magis
Existimauit spernere regium:
Laudemq́; non tantùm labore,
Vita etiam bene emi putauit.
Hoc ille Mauors ingenium viri,
Roburq́; Moschus par animo pauens:
Primos ad armorum susurros,
Præsidijs trepidas per vrbes
Firmis relictis: ipse sibi loco
Duxit cauendum, & calcar equo aliti
Subiecit, extenditq́; cursus
Ad Boreæ vsq; rigentis ortus.
Vt valle quondam cum lupus auia
Carpit iuueneum, nec dum etiam satur,
Visu repentino leonis
Territus, indecori sub aluum
Cauda reducta, vertitur in fugam:
Prædáq; cedit, non equidem lubens,
Sed restitantem cura maior,
Et propius fodicat periclum.
Quàcunq; verò Rex radiantibus
Incessit armis, omnia torrido
Latè videres feruere igni,
Et rigido meti inulta ferro.

Vt, cùm

Ut, cum per hymbres continuos ruit
Inflatus amnis, spes segetum natant,
Alniq; procumbunt, casæq;
Vorticibus rapiuntur atris:
Colles in altos it properè excitus
Præ se vniuersum pastor agens gregem,
Cursumq; torrentis sonorum
Aure procul stupet insolenti.
Vnum morari signa Polotteum,
Quiuitq; prompti militis impetum:
Firmum situ opportuno, & alta
Mole operum, atq; opibus tuentûm.
Cœlum quoque hymbri perpetuo fluens,
Et terra in atrum tota abiens lutum,
Clausis videbantur fauere,
Auxilia & premere obsidentum:
Nam nec liquescente in pluuias Ioue,
Vlli esse quiuit Mulciber vsui:
Nec machinarum ferre pondus,
Aut acies potuit virorum
Cœnosa tellus: terribiles tubi
Frustrà tonabant: igneaq; irrito
Plærunq; nisu glans cadebat,
Hymbre nouas reprimente flammas.

Primus procellæ qui tamen horridæ
Immunis, ortu purpureo, dies
Illuxit, idem triste pugnæ
Intrepido tulit omen hosti.
Nam, quod per hymbres factu erat arduum,
Tum, sole puro, fæta pila ignium
Accendit arcem, pluribusq́;
Flamma locis inopina fulsit.
Clamor per altas exoritur repens
Munitiones, castraq́; regia:
Longoq́; torpentes labore
Spes animos noua recreauit.
At tu, nec ignes accelerantibus
Lymphis repulsos, nec noua identidem
Incendia, altas per domorum,
Musa, trabes retice excitata.
Nec, qui ardor aut vis aggredientium
Muros, tuentum vé exstiterit, sile:
Nec nocte sera vix diremptas,
Marte animos acuente, pugnas.
Dic machinarum horrenda tonitrua,
Et tela sæui fulminis æmula:
Versura structuras Cyclopum,
Et solidas adamante turres.

Dic

Dic bis nouenas poſt hyemes truci
Tandem receptum ex hoſte Polotteum,
Virtute, opem iuxta deorum, &
Magnanimi auſpicijs Bathorrêi.
Hunc nos & armis inſuperabilem,
Et pace ſummis principibus parem:
Hunc & fide arguta, & canamus
Voce ſono fidis audiente.

Konserwacja papieru
i oprawa wykonane
w Oddziale Konserwacji BJ
marzec 1986